

## 1996 TSJCL SIGHT RECITATION: LEVEL 1/2 AND I

### **BIG FEET**

Urbs nostra ab hostibus diū oppugnābātur. Ob multitūdinem hostium perīculum erat magnum. Hostēs tamen urbem nōn expugnāverant quae in colle altō collocāta erat.

In nostrā legiōne vir rīdīculus erat, Quīntus Pedius nōmine. Omnēs mīlitēs Pedium dērīdēbant quod magnōs pedēs habēbat, nōn dissimilēs magnitūdine pedibus elephantōrum. Propter magnitūdinem pedum ā mīlitibus nōn Pedius sed Pedīculus appellābātur. Primō annō bellī Quīntus Pedius ab hostibus ācrī proeliō vulnerātus erat; decem pīla pedēs trānsfīxerant. Diū vulneribus labōrābat. Medicī perītī ubi convocātī sunt, tēla ex pedibus magnā cum curā extrāxērunt. Ūnus ex medicīs, “Pedēs tuī,” inquit, “sordidī sunt. Flūmen pedēs pūrgābit.”